Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3089
Quelle:
Copyright:

DCCCLIX.

557 Codex chartaceus lat. germ. Sec. XV. Folior. 177. 4. commode perſcriptus, rubricisque enotatus Sequentia complectitur: I. *Incipit Breuiarius Secundum modum Aquilegen. Dyoc.* Eſt Ordo recitandi divinum Officium, indicatis tantum Partium initiis, qui vulgo *Directorium* adpellatur. Inchoat vero: *Secundum ſex etates ſeculi diſpoſitus hyſtoriarum* (Lectionum) *ordo per circulum anni* &c. Ad finem Articulus adjicitur: *Quo ordine prefaciones ſunt tenende*, ubi de *Novem* Praefationibus a *Pelagio* inſtitutis, et inter alia: *Prefacionem de Sancta Trinitate per circulum anni dicere poſſumus tantum in dominicis diebus*, ad quos dies aevo noſtro eam reduxit *Clemens* XIII. P. M. Ad calcem haec Rubrica: *Scriptum per manus Caſpar. Krewczer de Ebenfuert* (Auſtriae infer.) *pro tunc Regens Opidi Gotzſſe* (Carnioliae, et Dioec. Aquilej.) *Sub anno domini Milleſimo Quadringenteſimo quadrageſimo primo In vigilia Petri et Pauli apoſtolorum.* Adhaeret Mandatum cujusdam Papae vel Epiſcopi de eodem Horarum Canon. Modo ab omnibus Clericis ſecularibus obſervando. *Quia vt percepimus diuerſi diuerſimode* &c. Sine die et conſule.

II. *fol.* 73. absque Titulo *Uſuardi* Monachi Sec. IX. S. *Germani de Pratis Martyrologium.* Initium, ut in *Cod. S. Germani* edito *Pariſ.* a *Jac. Bouillart* 1718. 4. a 24. *Decembris* five *IX. Kal. Jan.* pro quo lapſus Librarius *Non. Kl. Martij* poſuit. Exemplum cum edit. *J. B. Sollerii Antverpiae 1714. f.* collatum e probo Codice profectum videtur; ita non multis infarctum eſt Auctariis. Legitur tamen VIII. Kal. Jan. *ebdomada iuxta Danielis propheciam ſexageſima ſexta.* Et: *ſub nicetio vrbis prefecto*, omiſſo: *poſt ſacros virginum choros*, quod alioquin ἄλογον videtur, niſi e *Cod. Bruxell.* ut eſt apud *Sollerium cit.* p. 766. addas: *quos Chriſto aggregaverat.* XVIII. Kal. Sept. habetur cum pluribus: *Aſſumpcio ſanctiſſime dei genitricis Marie*, non *Dormitio.* In fine, X. Kal. Jan. omittitur *beatos*, legitur *deſponſata cuidam pagano*, et *plurimas domino virgines*, et *vsque ad mortem* pro *usque ad finem vitæ.* Adſcripta eſt, neſcio unde, myſtica Expoſitio *Oſculorum* Pedum, Manuum et Oris. *Nota tria ſunt Oſcula, primum pedum* &c.

III. *fol.* 132. p. 2. Rhythmi aſcetici, quorum initium.

Ecce mundus moritur vicijs ſepultus
Ordo rerum vertitur ceſſat chriſti cultus &c.